



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1689**

Problema L. Quod certissimum Reprobationis signum? Dominica II. Post Pascha. Cognosco meas & cognoscunt me meæ. Joan. 10. v. 14.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

Iosè DEUS. Congregentur itaque Apostoli, expectent, reexpectent, clamant, non cessent, sperent, suspirant, non desperent, quod possunt, agant, actum non agent, aderit, licet ferò, aderit tamen, & longè certius stabit in eorum medio, quam ego steterim in hac cathedra, è qua priusquam excedam, dicam aliquid in excessu. Ego dixi in excessu meo: projectus sum à facie oculorum tuorum. Ps. 30. v. 23. in Hebræo: ego enim in desperatione mea dixeram: projectus sum. quid sequitur? ideo

exaudisti vocem orationis meæ dum clamarem ad te. Cùm desperata erant omnia, omnisque ab homine impensa industria, exaudiet & succurret DEUS, veniet & stabit in medio tanquam Mediator, imò centrum votorum nostrorum JESUS, quo in centro conquiescamus.



## PROBLEMA L.

Quod certissimum Reprobationis signum?

## DOMINICA II. POST PASCHA.

*Cognosco meas & cognoscunt me meæ.  
Joan. IO. V. 14.*

S. I.  
Sex hirci  
Symboli-  
ci, sive sex  
reproba-  
tionis si-  
gna.

**H**abet Bonus Pastor in ovili suo Oves, habet & hædos, è natura præditos utrosque, ut & hœdi in agnos, & hi in hædos facile possint transformari. Nescit homo, ovis an hædus DEO fit, quia nescit utrū amore an odio dignus. Ovem te putas, hircum te fortè Deus novit S. Augustinus l. de ovibus c. 10. qualem te inveniet supremus vitæ dies & hora, talem te exhibebit novissimus mundi dies & æternitas tota, agnum à boni Pastoris dex-

tris, vel hircum à sinistris. Atque ut de solis agam reprobis, horum ectypon in emblemate propono, in quo hircum effigio pronum ad rixas & coniscandum: *suscitat iras*, talis Cain, Esau, Saul, Aman & reprobio omnes ad jurgia proni. Hircum aliquum ab occulta pinguedine suffocatum obycio: *objunt, quæ prodesse putantur*. talis Epulo Evangelicus Luc. 16. Inde hircus tardò oculos, rariùs vocem extollens in altum, sed humili potius affigens: *documenta damus*. talis latro à sinistris, qui si vel unicum balâasset *Memento*, hædis

Qq 2

ad.

adnumeratus non fuisset. Illinc hircus inter olera: *præclarum custodem olerum!* talis Judas & omnes rerum alienarum iniqui possessores. isthinc hircum effigio, cuius cornibus corvus insidet, & corvinum sum *cras cras ingeminat:* *nocuit differre paratis.* talis Pharaon & quotquot pœnitentiam procrastinant juxta illud D. Isidori: indies pœnitentiam differre, signum manifestum reprobationis est. Denique hircum fingo, qui sepem facile transfilit, & obvia arrodit arbusta: *hæc prima voluptas,* tales Susannæ seunes, omnésque reprobi, qui divinorum septa mandatorum per iocum transiliunt, & quibusque mortaliibus libenter damnum inferunt. reprobationis signum mihi certum videtur, inquit Granatenfis, facilitas lethaliter peccandi sine doloris sensu. Sunt haec quidem signa si non certa, certè probabilia, non tamen certissima. & quodnam certissimum omnium? novissimam dictiōnis hodiernæ parte ex eruditissimo Hieronymo Lanuza proferam, attendite.

§. 2.  
David de  
sua præde-  
stinatione  
solicitus.

Dura cogitatio, quæ ante annos bis mille sexcentos & supra somnum Davidi excusit, hanc quoque noctem insomnem mihi fecit; *vigilias anticipaverunt oculi mei,* *turbatus sum & non sum locutus Ps.* 76. v. 5. seu ut habet Felix; *deliquum animi passus sum:* Siquis insomniū hujus causam vult, dicam: *cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente babui.* nunquid in æternum projicit DEUS? cogitavi, quid antiquus dierum ab æterno de me cogitaverit, & quid de me statuerit pro tota, quæ hoc breve tempus consequetur, immensa æternitate. amabitne an odio habebit, corona bit an flagellabit? vas ero in honorem, an vas in contumeliam? o-

vis an hircus? misericordiam mecum faciet, an justum judicium? ò Domine in quo libro sum, atro an albo? si quis solari Davidem volet, dicat ei: nè timeas ò Rex, extraordinariis à DEO favoribus ditatus es, illustris plurimis victoriis, spiritu prophetiae ornatus, & novis indies ad miraculum ornaris gratiis. ergò prædestinatus es, mitis es in pauperes, profusus in eleemosynas, parcis inimicis, Zelas gloriam novæ domus DEI, ergò prædestinatus. & visitat te DEUS continuò novis novisque crucibus, infirmitatibus, adversitatibus, ergò prædestinatus es, an non bene? ita quidem nos, sed aliter judicant viri DEI. ipsi favores & gratiae nimiae suspectæ mihi sunt. timuit Abraham post victoriam, ut DEI opus habuerit solatio Gen. 15. *Noli timere Abraham, ego sum merces tua magna nimis.* quid timuit? nè in hoc accepisset totam mercedem iustitiae à Domino, ait Lyranus. nimis gratiarum excellentiis Angelorum primas donatus fuit, & prædestinatus non fuit. Balaam propheta fuit & prædestinatus non fuit; Saul inter prophetas, Saul victoria rum plenus, Saul multo tempore innocentissimus, & prædestinatus non fuit; imò ipsa gratiarum copia, timere nos faciat, nè jam receperimus mercedem. ignovit fratri suo Esau & reprobis fuit; gentiles plerumque eleemosynarii majores sunt, quam populus DEI, nunquid ideo electi? recipiunt in hac vita centuplum, non vitam æternam. nec crucis temporaneæ securum me sempiternæ quietis faciunt. flagellatus fuit Pharaon, & hic reprobis; nunquam sine poena Cain, & hic reprobis; non pati, sed bene pati beatum est, non bene vivere, sed in bono perseverare Sanctorum est; quis scit qualē me hora ultima inveniet? DEus scit utrum finali me

Hime gratiā & coronā immortalitatis dignabitur.

§. 3.  
Deis inter fratres dividit.  
Matth. 24.  
v. 40. Luc.  
17. v. 34.

Omnem voluptatem amaricat, omnem consolationem aufert hæc sollicitudo: Sūmne ex electis? consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse dividet inter fratres Os. 13. v. 14. non omnes qui in eadem religione & domo sunt, ad eandem mensam sunt, in eodem lecto sunt, in uno amplexu, & ut sic dicam, cor unum & anima una sunt, ad amores æternos, electi sunt. clara est Christi sententia: erunt duo in lecto, agro, tecō uno, unus assumetur, Et alter relinquetur. inter fratres dividet. fratres erant David & Jonathas, cor unum; David assumptus est, hoc scio: ubi Jonathas? nescio. Si dæmon ille fuit, qui Samuelis umbram ab inferis retulit & dixit: cras tecum eritis tu Et filii tui, quam timeo, nè dulcis Jonathas sit in amaritudine sempiterna. Duo fratres Abel & Cain, Nathan & Absalon, assumuntur Abel, Nathan, relinquuntur Cain, Absalon. inter maritum & uxorem dividet, Estherem assumet, Assuerum relinquet, Saram assumet, septem maritos dæmoniis permittet. inter patrem & filium dividet, Samuelem patrem assumet, filium Abiam relinquet, filium Abrahamum assumet, Thare patrem relinquet. consolatio abscondita est, et si assumptus sis, quia prædestinatio cùm sit mysterium liberrimum naturaque omni superius, omnium effectuum tam naturalium quam supernaturalium principium, decet illud esse secretum, haec sunt regalia Regis seculorum.

§. 4.  
Varia alia  
Reprobo-  
rum indi-  
gia.

Sunt nihilominus indicia quædam in ore & opere, quæ conjecturam aliquam faciunt, utrum non sis unus ex præscitis ad poenam. Petrum esse Christi discipulum agnoscit ancilla & militum cohors ex vo-

ce. bis interrogatus infelix discipulus, utrum revera discipulus sit, respondit primū: nescio quid dicas, respondit secundū: non sum, verū tertio requisitus: verè tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit, tunc cœpit jurare & anathematizare. quæritur quænam illa loquela fuerit, ex qua agnoscit potuit pro IESU discipulo? respondetur communiter, quod Galilæi habuerint diversum accentum à Solymæis. verū si hæc ratio subsistit, debuissent plerique Herodis aulici & milleni Judæorum esse suspici, fuit enim Galilæa regio latifima, Christo tamen adeò inimica, ut pauculis exceptis plerosque omnes habuerit nomini suo infensos. ingeniōsius observarunt alii, ideo Petrum ex loquela agnitionis, quia stylus loquendi in schola Christi erat ex præcepto Domini Matth. 5. est est, non non. non licebat jurare, nè dicam anathematizare. Petrus itaque bis responderat more Apostolico simpliciter absque juramento, ex quo suspicati sunt milites revera hunc esse è discipulorum numero, at verò quando jurare & imprecari non erubuit, omni se purgavit suspicione, quod non sit Christi, non sit ex electis. Loquere juvenis ut te videam, & utrum præscitus adponam sis, intelligam. si tertium quoque verbum tuum est blasphemia, imprecatio, periurium; semper in ore diabolus, & abusiva vox Sacramentorum, vereor nè sis ex præscitis ad damnationem.

Ex voce quoque Judam liquet esse Christi hostem & reprobum. Asseveraverat Dominus tradendum se ab uno convivarum, ab intimo favorita, à cliente singularibus beneficiis ornato. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. audiēre hæc undecim, & nullus omnium fuit, qui sibi non timeret, &

singularem animo conciperet mœrorem : contristati valde cœperunt singuli dicere : nunquid ego sum Domine. quid ad ista Judas? tacet, dissimulat, contemnit. nimis mollia & amoroſa ſunt illa Christi verba, dum Judæ pectus nihil commovent. attolle mi Christe vocem fortius, comminare damnationis fulmen vehementius, quid valet loquetur Judas, non virtutis amore, ſed formidine pœnæ. Heus Judas, ecce loquitur voce ſeverâ Christus : vœ Homini illi, per quem filius Hominis tradetur, bonum erat ei, ſi natuſ non fuifet homo ille. Heu, eheu! vœ tibi Juda ad pœnam praefitus es, fulminatus es, taces? non potest tacere amplius proditor, minas audiit, baculum vidit, vocem mox reddidit: nunquid ego sum Rabbi? qui tacuit ad culpm, non tacuit ad pœnam, reliqui auditâ culpâ turbati ſunt, quia diligebant JESUM, & idcirco offensam horribant. at verò Judas non offensam curat ſed pœnam, ſicut omnes reprobri ſolent, qui peccare metuunt, quia infernum horrent, peccaturi liberaliter, ſi carcer, ſi compedes, ſi equuleus, ſi infelix æternitas non foret.

Ex Judæ voce veniamus ad eiusdem manum seu operationem. extendit ille manum in paropsidem, & quidem eo ipſo tempore, quo Christus ſuam. Hoc hoc est publicum reprobationis ſignum, hæc nota ſcelesti, extendere manum ad alienum diſcum, invadere juf alterius, immiscere ſe negotiis alienis eleotorum non eſt. qui mittet mecum manum in peropſyde, hic me tradet. tradit Christum, qui ad alienam pecuniam, conjugem, famam extendit non dico manum, ſed vel digitum. Disce ex hoc diſco tanquam tripode diſcernere eleſtum à reprobo. Huc ſpectat quod re-

probis proprium ſit hoc judicium, omnia mihi conueniunt, omnia licent, primò omnium lavit pedes Christus, cui? Petro? non Petro, ſed proditori, ut afferunt Chrysostomus, Euthymius, Origenes, non recuſavit impudens Judas obsequium, libenter admifit famulatum tanquam ſibi debitum. Considera Petri Humilitatem & Judæ impudentiam, inquit Joannes Cluniac. Ser. 54. velle ſibi arrogare aliorum obsequia non tantum fortunas & jura, eſt, ex eleſtis eſſe nolle. accedit, quod in reprobis actum agatur, quidquid obsequiorum illis impenditur: vides Christum ad pedes Judæ, quam humiliter, quam reverenter, quam amanter! ſed nihil proficit. flebit Christus ad pedes nebulonis, & tacite ad os loquitur, flexis genibus orat ſibi fieri hanc gratiam à Juda, ut pedes ſuos à via perditionis retrahat, ab inferni reto itinere, dum tempus eſt, refleſtat, nihil proficit. Lavat Christus pedes Judæ non tantum aqua ſed & lacrymis calentissimis, Te per has lacrymas ego obſecro, parce tibi miſerere animæ tuæ. Ut te à via retineam, curſum impediām, curſum ſufflaminem, ſtringo manibus meis pedes tuos, non moveberis? Jam tu oſtergo pedes, & pectus illis meum applico, & charitatis igne eosdem calefaciam & inflammem, ne infernum verſus moveri poſſint, & moventur adhuc? lavo manus meas in eadem aqua, in qua tuos lavi pedes, & pronuntio: innocens ego sum in ſangvine iuſti hujus. tu Juda videris, perditio tua ex te tantummodo, quare noluisti, quare animum ſeriō non applicuisti. Hic eſt eritque damnandorum moſ, ut saltent, rideant, & dicant, quod innoſcenter dixit P. Franciſcus Regis adhuc puerulus ponē matrem saltans: mater ego ero unus ex damna-

natis. Verum cùm maturo id retulisset Mater, cecidit in deliquium Franciscus & ostendit se non è reprobis, sed unum ex eleétis, qui non pueriliter sed serio apprehendunt ipsas etiam umbras ruinæ.

§. 5.  
Certissimum reprobatio-  
nis indicium, mala  
conscientia. ex.  
Lanu z.  
homil. 37.

§. 21.

Lanuza Concionatorum ingeniosissimus nullum certius signum præscitorum esse probat, propriâ conscientiâ, infernum portatilem secum fert reprobus, & malè torquetur prius, quā torqueatur. Hoc nimurum est, quod David Psal. 54. v. 16. imprecatur: *descendant in infernum vi-ventes.* Vedit Joannes Ap. 1. v. 8. equum infirmum, pallidum, exhaustum, cuius infessor vocatur Mors, sequuntur hunc equitem famuli plurimi, fames, pestis, bellum, ipse infernus: *infernus sequebatur eum,* infelix domus, in quam ingratus iste hospes divertit, præterquam enim quod secum rapat omnia, & jus hospitii servet nullum, præparat insuper hospitium pejori successori, scilicet, inferno. Eques iste peccatum est, nomen illi Mors, occidit enim non corpus modò sed immortalem animam juxta effatum æternæ Veritatis: *anima in quaunque die peccaverit, ipsa morietur.* equus iste pallidus est concupiscentia, quæ generare & afferre dicitur peccatum. Væ cordi, in quo eques iste succedit! infallibiliter enim secum trahet infernum. Inferni pœna gravissima est vermis conscientiæ, qui cor damnati continuo mordet & remordet: cur infinitam bonum pro caduco perdere maluisti? obrem nihil omnia jura cœli, omnia regna beatitatis cur prodegisti? cur demulcentem DEum neglexisti: non est illius culpa sed tua &c. hic est vermis qui non moritur If. 66. v. 24. hic est infernus inferni, quem etiamnum in vivis sentit peccator, ut non raro ad insaniam, ad despe-

rationem, violentamque mortem adigatur.

Apoc. 20. v. 14. dicitur: *Et in-fernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* mira sententia! infernus præcipitatur in infernum. sic est. portatilis infernus in stabilem, inchoatus in completum.

Idem sensus Jobi est c. 16. si sustinuero, hoc est, si cogitationibus blasphemis locum dedero, *infernus domus mea est.* vel: nisi à scrupulis & torturis conscientiæ liberer, nihil absum ab inferno. Malam habere conscientiam, & gestare in anima infernum perinde est.

Contra prævaricatorem fit hæc conclusio Ezech. 16. v. 52. ergo *Et tu porta confusione tuam.* Septuaginta habent teste Hieronymo: *Et tu sustine tormentum tuum,* quæ verba sic explanat tom. 1. S. Doctor: portat tormentum suum qui propriâ torquetur conscientiâ, & in isto seculo sustinet propriâ voluntate cruciatum.

Efficax Jobi est imprecatio, quæ cum allegata figura optimè convenit c. 18. v. 15. *Habitent in tabernaculis illius socii ejus, qui non est: aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* quis est iste, qui non est? & quales habet socios? S. Gregorius hoc nomen dæmoni aptat, qui donec DEO adhæsit, princeps beatissimus fuit, at verò posteaquam perfidus DEO extitit, omnia séque ipsum perdidit: *jam non est, ex eo quod à summo Esse decessit:* eodem nomine dæmonem compellavit Regina Esther, DEum precata: *nè tradas sceptrum his, qui non sunt.* verum ego peccatum ipsum, quod dæmone pejus, (quia propter quod unumquodque tale & illud magis tale) rectissimè vocari, *Non est existimem, cùm peccatum sit phrasa Scripturæ Nihil.* si nè ipso factum est Nihil. Socii peccati

cati sunt ab Apostolo nominati Rom. 2. v. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animum hominis operantis malum.* addit proinde Job: aspergatur in tabernaculo ejus sulphur. iste est suffitus pro similibus hospitibus excipiendois, ut reprobus sustineat foetorem inferni, & poenas primas damnati.

Observavit orator aureus (qui sibi nè à muliere pateretur, abscondit labia, sed à B. Virgine Maria recepit aurea ut scribit P. Laur. Chrysogonus in suo mundo Mariano) Hom. 17. in Genes. quòd quām primum protoplastæ locum dedere peccato, infernum senserint ipso in paradiſo: mox ut intravit peccatum & prævaricatio, erubescens. Et tumultuatio eos invasisit. Mala conscientia eos pressit, quam justus DEus in unoquoque homine velut regno suo constituit, ut sic dicam *fiscalem*, aut *quadruplatorem*. Vocat Conscientiam citatus Chrysostomus judicem incorruptum, accusatricem perpetuam rei, à qua non potes non scire, quòd pertineas. Audiamus eloquentiæ flumen: *Judex incorruptus (conscientiam dico) cùm adversus hominem exurgit, clarâ voce clamat & accusat, & ostendit & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem, etiamque ob rem DEUS in principio cùm formaret Hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, quæ decipi & deceptionem ferre possit nunquam. Elicet quis admisso peccato omnes homines celet, ab illa tamen accusatrice non poterit delitescere. Nam hanc intrinsecus habentes, ubique sumus, circumferimus. ipsa nos circumvenit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quiescit. Sed domi & in foro, & in templo, & in mensa, & dormientem & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos proponit & delictorum gravitatem, & subsecuturam poenam,*

& quia pejor est poenâ timor ipse poenæ, ausim dicere tam gravem infernum pati in hac vita præscitum, ut potius desideret esse in inferno damnatorum; quisquis ergo desiderat scire, utrum sit præscitus, conscientiam suam consulat, quæ vix erratura est: Te interroga de te, scribit nepoti suo Roberto Bernardus, quia tu te melius nosti quām alius. Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem tua tibi conscientia respondeat, consilium cordis statue inquit Ecclesiasticus c. 37. v. 17. uti ex græco Jansenius vertit. *non est enim tibi fidelior illo.*

Intellige nunc Davidicum oraculum Ps. 7. v. 15. ecce concepit dolor, loquitur de illo qui non operare, sed corde peccavit, dum peccaturum se proposuit, aut simplici concupiscentiâ desideravit. tu putas quòd peccatori sit optimè, quando voluntati frœna laxavit, voluptati cor addixit, fecitque quod voluit? imò tunc miserrimus est. Ericium devoravit, ericum concepit, quomodo pariet? *ibi foveam habuit ericus* Is. 34. v. 15. ubi foveam? in corde peccatoris respondet moralis Doctor lib. 33. v. 32. non tan- S. Greg. L. tūm ericum, sed & tineam quām 33. moral. difficile est excutere & putredinem quam impossibile est sanare. de Ephraim & Juda peccantibus querulatur DEus Oſeæ 5. v. 7. coepit abire post fordes. & ecce poena! & ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Juda. corruptitur lignum, tineam expectes, putredine medulla ossis, dolorem timeas, corrodit lignum tinea, os putredo, vermis animam.

Subtiliter discurrat S. Ambrosius in illud Davidicum Ps. 36. *dixit iniquus ut delinquat in semetipso.* Ambrosius legit: *ut delinquat sibi.* lepidus loquendi modus! peccator dixit, quòd velit peccare in suum in

com-

commodum, ignominiam, dolorem, quis peccator hoc dicit? avarus non, superbus non, luxuriosus non; corradiit opes avarus, ut habita pecunia habeat omnia, libidinosus ut satisfaciat pruritui, imò dicit se facere id propter sanitatem, quomodo ergò dixit in justus, ut delinquit sibi? respondet S. Ambrosius tom. I. in hunc locum: qui peccat, delinquit sibi, qui sibi quæ pretiosa sicut eripit iniquitas velut plumbeo quadam talento ut sacra Scriptura testatur (sicut onus grave) conscientiam gravat. semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus foenerator conveniens debitorem. monet te debiti, minatur carcerem, imò & mortem, ex qua ipsa monitione nihil certius, quam esse te ex reprobis si præsertim ipsa Synthesis vix aliud proficit, quam ut desperes. Stigma suis Anti-christus in fronte & manu, Christus in anima inurit, hanc inspice, & vi-debis cuius sis.

Quodsi dicas, te nihil sentire amplius, quidquid agas rectum vi-

deri, heu! vivus es sepultus, sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius Ps. 87. v. 6. & ipsi de manu tua abscissi sunt ut legit S. Hieronymus, abscidi in Scriptura est desperatum esse: abscissi sum<sup>9</sup>, perit spes nostra. Ezech. 37. v. 11. alii legunt: ipsi manu tuā sententiati sunt.

Pro coronide in manum dare unicuique opto Anulum Caroli Quinti Imperatoris eo artificio elaboratum, ut singulas diei horas singularibus puncturis digito impresis designaret: pungendo docet. Conscientiæ hoc emblema est, quæ dum mentem pungit, abunde docet, quotam ut vulgo dicimus sonuerit horam, secundam an novissimam? simusne filii gratiæ an gehennæ? agnis an hircis adnumerandi? Scire ergò si cupias: electus sis an reprobis, conscientiam inspice, puncturas attende, parvum interrogata digitum, & dicet tibi.



Rr

PRO-

Problemata P. Philippi Hartung.